1217. Monastero di S. Abbondio. Morbio 10 (12) ~~12~~

(E)t anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo decimo septimo, die lune septimo exeunte aprili, indictione quinta. Investivit per massaritium et nomine locationis
Dominus Guillielmus de Casella monasterii Sancti Abondii abbas, presentibus et consentientibus ac confirmantibus ei donno Georgio de Novezano, donno
Girardo de Vellate, donno Petro Blanco, donno Lafranco de Dona, donno Alberto Rumbtengo, donno Iohanne de Curte et presbitero Girardo de Dugno ministro, monachis
et fratribus ipsius monasterii, Guilielmum et Arnicum fratres filios quondam Melioris de Orco de loco Turno. Nominative de pecia una terre cum olivis et aliis sibi
pertinentiis, reiacentis in territorio de Turno ubi dicitur ad ripa Cellomica, quam ipsi fratres hodie vendiderunt ipsi domino abbati ad partem dicti monasterii, secundum
quod continetur in publico instrumento venditionis facto a me infrascripto Stephano. Ita ut amodo in antea iamdicti fratres et sui heredes omni tempore habeant et teneant
predictam peciam terre cum omnibus pertinentiis et faciant exinde iure massaritii et locationis quicquid voluerint, meliorando eam et non peiorando sine omni contradictione
ipsius domini abbatis et monachorum suorumque successorum, dando et solvendo ipsi fratres omni anno fictum exinde staria duos olei boni et puri olivarum consignati
in predicto monasterio ad starium cumanum, quod fictum promiserunt ita solvere obligantibus omnia sua bona pignori ipsi domino abbati. Ita ut quilibet eorum te-
neatur in solidum et ut liceat ipsi domino abbati et suis successoribus convenire quemcumque eorum prius voluerint in solidum. Renuntiaverunt nove constitutioni. Eo in[illegible] quod ipse dominus abbas
nec sui successores nullo modo nulloque tempore possint removere predictos massarios de ipsa terra. Et si removeret eos vel eorum heredes donec solverint
predictum fictum teneatur et debeat dare nomine pene et obligi[illegible] eis solidos quadraginta denariorum novorum. Vice versa nec ipsi fratres nec eorum heredes possint relinquere
nec refutare predictam terram quin predictum fictum annuatim non solvant. Et si relinquerent vel refutarent teneantur et debeant dare nomine pene et obligi-
tionis domino abbati vel suis successoribus libras quinque denariorum novorum. Et sic attendendi obligaverunt inter se massarii omnia sua bona pignori et solvere omne
dispendium et dampnum quod fit propter ipsa pena exigenda. Actum in inclaustro Sancti Abondii.

Interfuerunt Dalmatius filius Philippi de Vigliu et Fomeus eius nepos et Zanebonus de Sancto Iuliano rogati testes. Unde plures carte rogate sunt.

(E)go Stephanus Mazat iudex dictus de Marco hanc cartam tradidi et scripsi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1811824676-11/fragment/page=2